

DE
ULCERIS SYPHILITICI PRIMARI
THERAPIA IN UNIVERSUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA
UNIVERSITATE LITERARIA TURICENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE XXI. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCXLVI.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR
JOSEPHUS OBERTIMPFLER,
TURICENSIS AB ELGG

TURICI
EX OFFICINA ZÜRCHERI ET FURRERI.
1846.

THE HISTORY OF THE

REIGN OF

CHARLES THE FIRST

BY

JOHN BURNET

OF

THE UNIVERSITY OF OXFORD

IN TWO VOLUMES

LONDON

PRINTED

BY

JOHN BURNET

OF

THE UNIVERSITY OF OXFORD

IN TWO VOLUMES

LONDON

PRINTED

VIRO

CLARISSIMO. DOCTISSIMO

ALBERTO KÖLLIKER

MEDICINAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORI,

ANATOMIAE COMPARATIVAE ET PHYSIOLOGIAE

PROFESSORI EXTRAORDINARIO,

MUSAEI ANATOMICI DIRECTORI

HUNC LIBELLUM

D. D. D.

AUCTOR.

DE THERAPIA ELICITIS SYMPTOMATIS

Monasterio patriaque profugus, a plurimis relictus, ab amicissimis remotus et persecutioni injustae atque crudeli expositus, quum ad ultimum tandem redactus, experientia et doctrina sapientiorum acquisitae adhuc insisterem perseverans philosophiae, Viri clarissimi ac doctissimi, Professores Doctores Henle et Kölliker infortunii mei miserti, non solum fortunae terrestris, sed etiam scientiae medicinalis mihi posuerunt fundamentum.

Quibus viris, ut beneficiorum in me accumulatorum gratias quantumvis exiguas referam, has studiorum meorum primitias consecrare animus me ultro jubet.

DE THERAPIA ULCERIS SYPHILITICI PRIMARIi IN UNIVERSUM.

§ 1.

Utrum ulcus arte an natura sanatur?

a. Nonnulli affirmant, ulcus primarium syphiliticum solummodo arte curari posse, e. g. Girtaner, Ritter, Hunter alique. Autores hujusce opinionis Astruc, Hunter et Abernethy traduntur et, qui methodum specificam confitentur, sunt pertinaces illius defensores.

b. Alii, artem rejicientes, omne ulcus solummodo natura adjuvante sanari edicunt e. g. multi Antimercurialistae. Cullerier neveu vel typicam defendit ulceris evolutionem, cum e contrario adversarii, praesertim Girtaner, Abernethy etc. syphilide, nisi ars interveniat, membrum destrui, asseverant; quod vanum esse dicit Lawrence, quia nostris temporibus syphilidem natura sanari, unicuique bene notum sit.

c. Alii denique nunc arte, nunc natura ulcus curari, experientia docti profitentur e. g. Schoenlein, Ingarden, Ricord etc. Haecce sententia nequaquam rejicenda, imo potius valde laudanda est.

§ 2.

In cura ulceris therapeutica quatenus omnino sunt necessaria?

- a. Tranquillitas animi et quies corporis,
- b. Mundities corporis, praesertim partis affectae salutares sunt.
- c. Frigus aegroti est valde perniciosum.
- d. Commotio et irritatio partis affectae omnino evitandae sunt.
- e. Diaeta, quamvis antiphlogistica, ne sit justo durior, sed mitis. Saeculo decimo sexto, epidemia grassante, in curatione syphilidis abstinendam rigidam, imo famem, esse omnino necessariam, edictum promulgarunt Principes; attamen mox mercurialistae, principiis propriis insistentes, e contra assum vitulinum, carnem suinam etc. aegrotantibus porrexerunt. Huic abusui Osbeck et Winstoff, dietam commendantes, se opposuerunt, quapropter qui laudentur, sunt digni; attamen saepius constitutio aegroti cibos, in quibus multum alimenti est, et incitamenta varii generis, e. g. vinum, exposcit, quod Ricord, Hume Weatherhead, Astley Cooper etc. exemplis comprobarunt.

§ 3.

Therapia utrum localis, an universalis, an utraque simul esse debet?

a. Therapiam solummodo localem eamque sine discrimine specierum ulceris et constitutionis aegroti instituendam esse, nonnulli, e. g. Girtaner et Berlinghieri affirmarunt. Et nostris temporibus, ut narrat Handschuch, ulcera syphilitica vel sine medicamine, solummodo in-
volutione simplice (Verband) adhibita curari potuerunt.

b. Alii ulcera primaria remediis topicis, si fieri possit et quidem brevissimo tempore curanda esse voluerunt e. g. Desruelles atque ejus asseclae.

c. Alii porro rejiciunt curationem pure localem e. g. Wendt et plures scholae antiquae; etenim luem secundariam ex therapia solummodo locali oriri necesse esse, affirmant, e. g. Berends. A. Schoenleinio therapia pure localis, ut insana ac temeraria vituperatur; attamen Hunter ulcus primum esse malum topicum et topicis remediis curari posse asserit.

d. Nonnulli therapiam universalem unicam et necessariam esse docent. Haecce schola mercurium habet specificum antisiphiliticum, quapropter eum ubique et quidem interne esse adhibendum dicunt, ne pars affecta et una organismus pessumdetur; etenim omnis regeneratio intrinsecus fiat necesse esse contendunt.

e. Notissima est sententia illa, therapiam topicam unacum universali esse adhibendam; etenim virus syphi-

liticum non solum in ulcere primario quam celerrime esse delendum, sed etiam vel resorptionem illius in organismum prohibendam, vel absorptum iterum ejiciendum seu delendum esse remediis specificis Schoenlein, Hunter et plures alii asseverant.

f. Denique commemoranda est celeberrimi doctrina Ricordii, qui respectu specierum ulceris primarii contagium syphyliticum

- a. nunc solummodo topicis,
- b. nunc topicis simulque internis remediis delendum esse, primus sententiam protulit laudandam.

§ 4.

Variae ulcus primarium curandi methodi.

a. *Methodus specifica.*
Mox in duas partes defensores illius abierunt, quarum altera topicum solummodo, altera Mercurii usum internum laudaverunt tanquam unicum solamen. Pars posterior tandem recessit superata; cura enim therapeutica ista saepissime effectum est, ut ulcera primaria commutarentur in mercurialia, scorbutica et secundaria. Quamobrem topicus methodi specificae usus therapeuticus tulit victoriam; therapia universalis vero rejecta et tanquam Luis praeservativum solummodo a nonnullis adhibita est.

b. Methodus antimercurialis seu simplex.

Edinburgio exorta, mox in Anglia, America septentrionali et in ora Continentis maritima divulgata est. Illius defensores, vehementissime se opposcentes methodi specificae asseclis, nomen rationalistarum sibi imposuerunt gloriantes.

Abusus Mercurii, illius in organismum in ora maritima vis perniciosa, benignior hujus seculi syphilidis natura atque ex Europa meridionali, ubi syphilis existit, mitior, hujus rei idea in septentrionem translata causae originis hujus doctrinae erant primariae. Hujus methodi fautores ne granum quidem Mercurii porrigunt aegrotanti; ulcus enim syphiliticum primarium nonnisi a simplici irritatione proficisci dicunt. Attamen Mercurium excludendum et methodum simplicem solummodo necessariam esse, nemo adhuc certissimis probavit argumentis; quin illi ipsi, qui partium studio alioquin nimis ducuntur, hac in re libere profitentur, Mercurium esse nonnunquam unicum solamen, e. g. Desruelles etc. atque ex Mac Gregorii et Francolini scriptis publica auctoritate editis eadem resultat sententia. Methodi simplicis laudes, quas Hacker profert, haud merentur fidem plenam; etenim, quae dixit, solummodo ex antimercurialistarum operibus hausit. Etiam Stromeyer Hackerio contradicit asseverans, se nusquam tot vidisse symptomata secundaria, quot inter aegrotos ab Handschuchio et Willhelmio curatos. Lutetiis Parisiorum Germaniae, Angliae et Galliae medici plures audacter sunt eloquuti eandem sententiam, quibus

et Colles assentit dicens, non raro typho corripitur methodo simplice curatos Hibernos. Secundum Stromeieri opinionem haec methodus solummodo homines juvat robustos hosque tum demum, quando Mercurius porrigi nequit.

c. *Methodus rationalis.*

Haec quasi nostri aevi filia et specificis et illis methodi simplicis, sed caute ac sine praejudicio utitur medicamentis. Doctrina specifici contagii syphilitici fere unanimiter comprobatur. Indicationes therapeuticae non solum ab ista contagii idea, sed etiam ab aliis momentis et quidem a constitutione aegroti, ab ulceris specie atque a fortuitis dependent complicationibus.

§. 5.

Quaenam constituunt therapiam rationalem?

In therapia rationali

A. Contagium ulceris primarii syphilitici
ejusdemque effectus

B. a fortuitis naturae non syphiliticae
complicationibus bene distinguendum
erit.

A.

Cura contagii ulceris primarii syphilitici
therapeutica

a. *est vel localis*, quamdiu contagium adhuc in parte primitus affecta, metamorphosi nondum facta remansit,

b. *vel — lue secundaria enascente seu jam confirmata — localis et simul universalis.*

Cura localis therapeutica, quae nunc *methodo extinctionis* — sic dicta abortiva — nunc *methodo cicatrisationis* perficitur, est valde simplex, neque apparatus poscit, quo organismus remediis adhibendis aptior fiat. Verum vero casu oblatae, characteris non syphilitici complicationes sine mora, si fieri potest, sunt removendae, ne potentia illarum noxia malum locale in pejus transmutatum pertinaxque factum omni curae resistat et in organismum principia deponat degenerationis pessumae.

Methodus extinctionis.

Quae vel in excisione, vel in cauterisatione vesicae crystallinae et ulceris primarii consistit.

Jam Angelus Bolognini anno 1507, quo diutius ulcus exsistat, eo majus imminere periculum, suos edocuit discipulos, cui sententiae plurimi nostris temporibus assentiunt; quapropter, auxilium celerrime aegrotanti esse methodo extinctionis ferendum, unanimiter statuerunt. Antiquissimam quidem esse hanc methodum asserit Stromeyer, attamen a melioribus medicis omni tempore vituperatam et rejectam; id quod falsum est. Cum aliis jam Hunter excisione usus est, ex quo tempore non solum exstirpatio, sed etiam cauterisatio, ut abortus syphilidis procreetur, non raro prudentissime adhibetur. Imo Ricordio praeunte plurimi prorsus necessariam habent hanc methodum, attamen, ne, hebdomade a die infectionis praeterlapsa, illa uteretur medicus, Ricord, Desruelles, Fricke, Strohl, Hunter, Hanke, Hacker, Hume Weatherhead aliique experientia edocti statuerunt. — Sunt quidem adhuc, qui illam vituperent; verumenim vero haece medendi methodus fuit et erit maximi ponderis, quoniam, quo citius ulcus primarium seu vesica crystallina extincta fuerit, fere nihili syphilidis secundariae periculum erit censendum. Historiae morborum innumerae hanc sententiam maximopere confirmant.

Methodus cicatrisationis.

Hac methodo nequaquam impeditur, quominus lues secundaria exoriatur, sed solummodo procreandis cicatricibus inservit. In omni ulceris stadio haec methodus

est indicata, et ipsa methodus dicta abortiva, ut ita dicam, nil est, nisi modus, quo cicatrix procreatur. Valde variis causticis perficitur haec operatio, quam omnino esse necessariam celeberrimi viri asseverant, e. g. Ricord, Rust, Desruelles, Hacker, Sentin, Bauck, Stromeyer, Hanke, Velpeau, Puchelt, Coster, Lisfranc, Strohl, Weatherhead alique. Quorum unusquisque causticorum usu suam persequitur viam. Methodos caustica applicandi comparantes optimo jure has regulas nos pronunciare posse arbitramur:

- a. omne ulcus cauterio curandum est;
- b. in omni ulceris stadio causticum applicare potest et applicandum est;
- c. ne quod anxie e varii generis causticis, sed si fieri potest, fortissimum eligas;
- d. denique ut penitus malum deleatur, solummodo cauterio est utendum.

b. Therapia universalis, quae cum locali conjuncta est.

α. Sunt, qui dicant, prophylacticum luis secundariae esse therapiam universalem, e. g. Hunter, Schoenlein; adversarii vero prophylaxin esse non solum inutilem, sed et perniciosam strenuo contendunt; etenim hoc modo remedia contra id, quod non est, essent adhibenda; quod vanum. Nos tamquam inter utrosque medii, eo tempore, quo omnis luis secundariae suspicio

adhuc remota est, therapiam universalem non esse adhibendam asserimus.

β. Therapia universali etiam usi sunt eo consilio, ut superficies ulceris vel in melius transmutaretur vel ulcus sanaretur, quod vanum est; etenim ulcus primum est malum topicum, quapropter topicis curetur remediis necesse est. Attamen naturae haud syphiliticae complicationes, quarum saepius perniciose in ulcera primaria vis e. g. in ulcera phagadaenica et Hunteriana etc. omnibus bene nota est, utique sine mora sunt therapia universali unacum locali removendae. Medicamenta vero ad hanc finem adhibita non sunt antidota contagii syphilitici, sed, uti dixi, remedia complicationum.

γ. Omnes denique, qui rationalem theoriam sequuntur, contra luum enascentem seu jam confirmatam therapia utuntur universali. Diagnosin illius quidem omnino certam nemo adhuc constituit, attamen Ricordii, Hunteri aliorumque celeberrimorum et expertissimorum edicta tanquam norma diagnoseos habeantur necesse est. Itaque luis symptomatibus apparentibus utantur medici contra contagium in organismum resorptum cura therapeutica universali cum locali juncta. Secundum Ricordii doctrinam solummodo ulcere Hunteriano praesente porrigi remedia universalia licitum est, quod plures experientia docti celebriores viri contradicunt, asseverantes, omnem fere ulceris speciem remedia contra contagium universalia postulare posse; unicum enim existit virus syphiliticum, quod modo in organismum resorptum, modo topice

remanens variis seu in corpore latentibus seu manifestis conjungitur dyscrasiis, quo facto peculiaris et organismi et partis affectae metamorphosis, quae luem secundariam constituit, enascitur. Jam per saecula in luis definitione omnia miscentur et turbantur; attamen impavide fero sententiam: unicam esse syphilidem et quidem tantummodo localem; omnia vero symptomata secundaria alius sunt generis et quidem dyscrasica. Quali ratione pneumonia ad phthisin tuberculosam, et inflammatio cerebri ad animi morbum etc. tali ratione syphilis ad luem dictam secundariam habenda est. Dyscrasiis in corpore non degentibus, lues secundaria nequit exoriri; virus enim ulceris primarii syphiliticum omni tempore in alioquin sano corpore remanet locale; dyscrasiis vero degentibus conjungitur et morbus novus generis alius exoritur. Quapropter luem secundariam tantummodo ulcere Hunteriano apparente exortam esse, falsa est Ricordii sententia.

Curam universalem in tria oportet dividi
stadia.

a. *Stadium praeparationis.* Quoniam remedia anti-syphilitica et antidyscrasica organismo sunt inimicissima ejusque regenerationem destruentia, organismus, ne pessumdetur, prius praeparetur et roboretur omnino necesse erit.

b. *Stadium metamorphoseos* organismi et partis affectae. Periodus haecce ne sit nimis brevis, ne virus in corpore

remaneat, neve nimis longa, ne nova e. g. Jodii, Mercurii etc. exoriatur dyscrasia.

c. *Stadium reconvalescentiae* organismi, in quo redeunte sanitate universali etiam status ulceris primarii in melius transmutatur.

B.

Cura therapeutica naturae haud syphiliticae complicationum.

Ista erit vel localis, vel universalis, vel utraque simul secundum variam complicationum naturam. Etenim

a. Inflammationes locales et universales variorum systematum et organorum irrationes nervorum etc. non raro sunt contagii syphilitici effectus.

b. Porro morbi varii generis, dyscrasiis exceptis, jam ante infectionem in organismo adesse et adhuc simplices nec contagio tacti aliquamdiu decurrere possunt; attamen mox contagii in illos potentia perniciosa et vice versa illorum in ulcus primum se manifestabit, qua ex causa quam primum sunt removendi, ne ipsi unacum ulcere, quod saepius fit, in formam transeant pejorem.

c. Pessimi denique ominis sunt vel latentes vel manifestae in organismo jam prius degentes dyscrasiae, quibuscum contagium ulceris primarii conjunctum lui secundariae originem dare a nemine negari potest.

Inde curam therapeuticam fortuitarum naturae haud syphiliticae complicationum esse valde diversam et quidem modo specificam et modo non specificam esse patet.

Specifica denique therapia in antisymphiliticam et antidyscrasicam dividenda est, quarum haec in lue secundaria, illa in syphilide primaria est saluti.

Theses.

1. Methodus subcutanea abscessus aperiendi profundos in arthrocace est omnino necessaria.
2. Specifica non sunt.
3. Exarticulationes sunt evitandae.
4. Neque scirrhus neque carcinoma extirpetur cultro.
5. Qui non medicus est, chirurgus esse nequit.
6. Scientia anatomiae pathologicae medico non est necessaria.
7. Cataracta ossificata est *noli me tangere*.
8. Syphilis universalis seu secundaria non est.
9. Sanguinis post partum profluvium periculosissimum Ipecacuanha sistitur.